

Clementis
Pontificis
obitus, &
ejus elec-
tum.

Proximum annum M. DC. V. posteritati insignem varii atque ingentes in Europa motus reddidere. Funestumque initium a Clementis summi Pontificis excessu sumpsit; qui podagra senectaque confectus occubuit; pro cuius salute atque incolumitate per urbis templa Senatus jussu supplicaciones habitæ fuerant; ejusque obitu summo moerore omnes civitatis ordines sunt affecti, quod eo potissimum tempore extintus esset, quo de ineundo cum Republica arctiori amicitiae societatisque nexu, consilia agitabat; illiusque virtus atque opera christiana reipublicæ maxime necessaria videbantur, Turca, præsertim, recolectis viribus, in Pannonia adjacentibusque regionibus fæiente. Eo etenim ingenio Clemens erat, ut licet Quinti Fabii exemplo in gravissimis negotiis nimia cunctatione uti videretur; tamen nil abjectum, cuncta prægrandi atque excelsa mente gerens, prudentiaque & dexteritate quandoque assequebatur, quæ vi atque impetu obtineri minime potuissent. Inde conciliata inter potentissimos Galliæ Hispaniæque Reges pax, Henrici in Sabaudum repressus impetus, initaque concordia, ac pleraque egregia, quæ vel ad quietem in Italia retinendam, vel ad Principes jungendos, vel ad Cælarem Pannonicum bello milite pecuniaque juvandum, effluxere. Complura eaque gravia cum Republica negotia habuit, quæ licet nonnumquam acerrime utrimque agitata, in graves dissensiones eruptura existimarentur, nihilominus, moderatione animi ad eumdem veluti scopum Pontifice ac Senatu collimante, felici exitu sunt confecta, Petri Aldobrandini, nepotis, imprimis auctoritate, qui, cum nihil non a patruo impetraret, Venetorumque esset studiosissimus, mutuis officiis illius in Rempublicam voluntatem ac benevolentiam aluit atque auxit.

Justis de more Clementi persolutis, de successore deligendo pontificalibus comitiis actum. In varia studia sententiasque Purpurati scinduntur. Galli Alexandre Mediceo Cardinali favent; Hispani palam oppugnant, in quemlibet alium consensi.

Cæ-